



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Constans Defensio, Ex S. Scriptvra, Et Vera Catholica  
Doctrina, Atqve Observatione Vniuersalis Christianæ  
Ecclesiæ Deliberationis de Christiana Reformatione**

**Bucer, Martin**

**Genevae, 1613**

De vero intellectu sacræ Scripturæ 3

**urn:nbn:de:hbz:466:1-34315**



aut verbo, sed ex verbo & spiritu Dei.

Postremò quòd obiiciūt, Multas particulares, sed salutare ordinationes in Archiepiscopali Diocesi Coloniensi per Librum Reformationis reiectas esse, ad hoc dicitur, ipsos iniuriam inferre Libro. Qua responsione contenti sumus, donec vel vnam aliquam salutarem ordinationem producant, quæ sit in libro Reformationis abolita: quod sanè non facient.

Haftenus igitur ad primam accusationem responsum sit: contra quam aliquanto prolixius agendum fuit, & in singulis controuersis diutius inhærendum fuit: propterea quòd Aduersarij dum antiquas traditiones, dogmata & obseruationes Ecclesiarum tantoperè extollunt, summum adiumentum contra doctrinas & ordinationes Christi, quæ in libro Reformationis proponuntur, quærunt. Multi enim iiq̄e boni viri decipiuntur, cùm audiunt aliquid ordinari & institui, quod pugnet cum his quæ S. Martyres & Patres, vt ab Apostolis ipsis tradita tanta veneratione obseruarunt & coluerunt. Quare docendi erunt homines, hanc esse vanam iactationem, librùmque Reformationis ne minima quidem ex parte vlli dogmati, aut ordinationi repugnare, quæ sit ab Apostolis tradita Ecclesiæ, vel omnibus aliis quæ traditionibus Apostolicis æquiparari possint.

*De vero intellectu Sacra Scripturae.*

CAPVT III.



**H**OC loco ponunt Aduersarij, primùm, quod verbum Dei clarissimè docent, verum intellectum Sacrae Scripturae in sola Catholica Ecclesia quærendum esse. Deinde ad confirmationem suæ sententiæ, adducunt & Scripturarum & S. Patrum testimonia. Tertio reprehendunt librum Reformationis, quod doceat, ad solam seu nudam Scripturam esse recurrendum, eiq̄e soli fidem adhibendam. Et quòd prædicatores idcirco nihil omnino humane opinionis suæ doctrine debeant immiscere, cùm omnis homo sit mendax. Nihilominus autem Pastoribus & Prædicantibus faciat potestatem Scripturas declarandi, & interpretandi, & hoc per solam etymologiam vocabulorum & collationem locorum obscuriorum ad clariora. Dissimulet verò & taceat de intellectu Catholice Ecclesie.

*Responsio ad hanc Accusationem.*

**Q**VO dilucidius ad hanc obiectionem respondeatur, primum omnium refellenda erit hæc Aduersariorum positio, vt quæ non modo non sit fundata in S. literis, verum etiam illis & omni veritati ex diametro repugnet. Deinde ostendendum erit, Testimonia quæ ex Patribus adduxerunt, positionem suam nullo modo confirmare. Tertio, Quod Librum Reform. falso & temerè acculent.

*Defensio*



## Defensio libri Reformationis desumpta ex S. literis.

Primum omnium ponunt Aduersarij, quod verbum Dei clarissime doceat, verum S. literarum intellectum in sola Catholica Ecclesia quarendum esse: id quod non tantum cum verbo Dei, sed etiam cum omni ratione ac possibilitate pugnat. Constat enim verbum Dei clarissime docere, quod verus S. scripturarum intellectus apud Deum ipsum, & in scripturis eius quarendus sit: idque per pias preces, & assiduam lectionem ac meditationem S. scripturæ.

Per pias preces. Nam docet verbum Dei, diuinam doctrinam non nisi per Spiritum Domini percipi & intelligi posse 1. Cor. 2. Hunc autem Dominus vult precibus à se obtineri, Luc. 11. Hinc est quod Paulus tantis votis Ecclesiis Christi optauit spiritum sapientiæ ac reuelationis à Domino, ad sciendum quæ sit spes vocationis Christi, quæ longitudo & latitudo, profunditas & sublimitas ad probandum quæ sunt præstantia, & ad cognoscendam voluntatem eius, &c. Ephes. 1. & 3. Philip. 1. Coloss. 1. *Sicut & David erat, Reuela oculos meos, vt conspiciam mirabilia in lege tua.* Psal. 119.

Quod verò ad id vt verum S. scripturarum intellectum quis consequatur, præter orationem diligens quoque & assidua requiratur lectio & meditatio S. literarum, id præter ea quæ in fine præcedentis articuli adducta sunt, alia innumera loca, ex his quoque sequentibus intelligi potest. *Attende lectioni, exhortationi, doctrina. Ne neglexeris quod in te est donum, quod datum est tibi per prophetiam cum impositione manuum, autoritate sacerdotij. Hac exerce &c.* 1. Timoth. 4. Hoc loco præcipit Paulus Timotheo vt lectioni scripturarum attendat, hoc est, vt diligenter ac sedulo Scripturas legat, & continuè de eis meditetur. Non iubet vt S. scripturarum intellectum in Catholica Ecclesia quærat: poterat enim per se scripturam, quæ omnia bona docet, frequenter & assidue legere.

Laudat quoque Spiritus S. Thessalonicenses, quod postquam doctrinam Apostolorum audierant, & acceperant, Scripturas scrutabantur, an ea quæ ab Apostolis audierant, ita se haberent Act. 17. Quod facientes, prædicationem & doctrinam ab Apostolis auditam, per firmiorem sermonem propheticum sibi ipsis magis confirmabant. Quod testatur Petrus, cum inquit, *Habemus firmiorem sermonem propheticum, cui dum attenditis, ceu lucerna apparenti in obscuro loco refulere facitis, donec dies illucescat.* Hoc dictum Petri diligenter est annotandum. Præmisit enim ante hæc verba, Apostolos cum prædicarent virtutem & aduentum Domini nostri Iesu Christi, non arte compositas fabulas secutos esse, sed quod viderant & audierunt annunciasse. Quibus statim subiungit: *Habemus firmiorem sermonem &c.* Quibus verbis clarè testatur, conscriptum Dei verbum firmius esse, quàm doctrina quæ viua voce ab ipsis fiebat, non quidem in natura sua: vnum enim & idem verbum Dei erat vtrunque.



sed respectu Apostolorum, qui adhuc in terra agebant. A quibus idcirco alienum non erat, vel aliquid interdum verbo Dei ex suo addere, vel ab eodem auferre, ac diminuerre. Id quod ipsi Petro legimus Antiochia contigisse. Cum è contrà propheticus sermo scripturis comprehensus, syncerum ac perpetuum Dei verbum permaneat.

Notandum præterea est in his verbis, quod Apostolus iubet attendere verbo Dei seu lucernæ apparenti in obscuro loco. Quibus verbis docet, per scriptum Dei verbum cætera omnia, vt obscura & densis tenebris circumfusa illuminanda & illustranda esse: vt qui S. scripturas pia diligentia legant, & scrutantur, non modò verum earum intellectû ex ipsis ad salutem hauriant, sed etiam omnia dogmata ex eisdem probare, dijudicare, sibi que confirmare queant.

Hinc est quòd Dominus ipse, & Apostoli omnem suam doctrinam ex S. scriptura, vt certissimo firmissimòque testimonio, vt pote Dei ipsius ore prolato, comprobarunt. Oportet enim vt id per quod omnia diuina dogmata demonstrantur, certissimum sit ac notissimum. Per notiora enim & certiora probantur, quæ minus nota & certa sunt.

Benignissimus Deus proposuit nobis omnibus Scripturam suam, vt quæ possit ac debeat nos doctos efficere ad æternam salutem, & omnia bona opera, quod testatur Paulus 2. Timoth. 3. Ad hæc Spiritus S. omnis scriptor est, & optimus magister, qui plenissimè clarissimèque omnem voluntatem Dei tradere potest. Cum igitur talis sit, quæ fieri possit, vt scripturam suam tam obscure proponere: tantis tenebrarum nebulis inuoluere voluisset, vt eam filij Dei, qui voluntatem Patris sui, ad plenius ipsi fidendum, & in omni pietate & sanctimonia seruiendû, ex eo cognoscere vellent, eam tamen intelligere non possent, nisi prius verum ipsius intellectum in Catholica Ecclesia quærant, hoc est, apud omnes fideles, quotquot ab initio mundi fuerunt, & quibuscunque in locis extiterunt, & adhuc sunt nostro seculo?

Quis obsecro fidelis pater, si de talibus rebus filiis suis scribere proposuisset, in quibus vniuersa eorum salus, ac summa felicitas versaretur, quamuis id melius posset, vellet tamen id tam obscure tam intricatè & impeditè facere, vt filij voluntatè & consiliû patris ex suo ipsius scripto percipere ac diuinare non possent: sed cogerentur sententiam Patris sui ab omnibus aliis fratribus & sororibus inquirere? Quomodo igitur ascriberemus Deo, qui æterna sapientia est & summa bonitas: quique scripturam suam ad nos, tâquam Epistolam Creatoris ad suam creaturam (vt loquitur D. Gregorius) misit, quod eam tam obscure & ambiguè proposuerit, vt dilecti filij eius, quibus vnigenitum filium suum Doctorem & Redemptorem donauit, eam ad plenam perfectamque salutem suam intelligere non possint, nisi prius vniuersam omnium filiorum Dei, quotquot vnquam fuerunt, & adhuc sunt, congregationem in consilium adhibeant. Id enim est Catholica Ecclesia Christi.

At hoc verum non est. Lex Dei perfecta est, exhilarans animam. Testimonium Domini fideliter sapientem reddens simplicem, *Mandata Domini*



*Domini recta sunt, letificantia cor. Præceptum Domini purum est, illuminans oculos, Pſal. 19.* Ex his igitur firmissimè colligitur, illam positionem aduersariorum, qua dicunt, Verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærendum esse: non tantum in verbo Dei fundatum non esse, sed eidem apertè & ex diametro repugnare.

Neminem verò perturbet, id quod S. scripturarum hostes hoc loco obiiciunt, dicentes, Si S. scriptura tam manifesta, tam certa est, tamque ad docendum omnia bona, & redarguendum contraria sufficiens, qui fit igitur vt tam antiqui quàm recentiores scripturarum interpretes tam variè ac diuersimodè eam intelligant & exponant, quòdque præcipui inter eos non semper vnum & eundem sensum ex illis eliciunt? Ad hæc, si Scriptura adeò clara est, & facilis ad intelligendum, quid opus est quotidiana & iugi eius interpretatione, quæ assidue fit tam viua voce quàm libris conscriptis?

Ad priorem huius obiectionis partem dicimus, quòd omnes veri filij Dei, qui Patrem pro bono eius spiritu, per Dominum nostrum Iesum Christum vera & solida fide vnquam inuocant, ij ex S. scriptura quæcunque sunt ad salutem necessaria omnibus temporibus satis & abundè perceperunt, summòque cum consensu tradiderunt. Cæterum in multis scripturæ locis, quorum intellectus ad salutem necessarius non est, & ignorantia pietati non obstat, vult Dominus suos veri & genuini sensus inuestigatione exercere, eosque hoc modo suæ infirmitatis & imperitiæ in rebus diuinis commonefacere. Hinc est, quòd Ecclesiastici doctores in eiusmodi locis explicandis non omnes, imò ne multi quidem ex ipsis semper per omnia sibi mutuò consentiunt: taceo quòd vnus & idem non semper sibi ipsi consentit, sed sæpenumero contraria docet.

Ad alteram partem respondendum est. Quod etsi S. scriptura tam clarè tam dilucidè ac plenè omnia bona docet, & ab omnibus contrariis præseruat, vt quicumque ex animo desiderat doceri à Domino, & facere voluntatem Patris, oratque eum per Dominum nostrum Iesum Christum firma fide pro bono eius spiritu, possit ex ea quæcunque ad salutem eius vtilia sunt, ac necessaria, plenissimè ac certissimè addiscere: tamen quòd vera dilectio & omnium donorum communicatio magis ac magis exerceatur, & augeatur, in dies, vult Dominus omnium membrorum suorum ministerio vt ad ædificationem vniuersi corporis sui, hoc est Ecclesie. Vt primò ministri, deinde reliqui Christiani, omnibus condiscipulis ac commembris suis in corpore, cuius caput est caput, ad ampliorem ædificationem, instructionem, denique plenam salutem inseruiant, sicut in cæteris rebus omnibus actionibus & cõditionibus hominum copiosissimè ac penitus inexhaustè comprehensa est. Et id breuiter, pro more & consuetudine sua, vt nihilominus piam diligentiam, ac spiritualem attentionem requirat.

Quòd si cui hoc charitatis officium, neque à publico Ecclesie ministerio, neque ab aliis Christianis contingere potest, is nihilominus ex S. literis, siquidem eas pia mente legit, omnia bona cognoscet, & à con-



trariis custodietur. Spiritus enim S. non potuit falsum de scriptura sua ferre testimonium. Testatur verò, vt iam antea dictum est, eam docere omnia tam plenè, tamque absolutè, vt hominem Dei ad omne opus bonum paratum & instructum reddere possit. 2. Tim. 3. Quamobrem si quis in diuinis scriptis errat & impingit, aut doctrinam Dei ex illis ad salutem suam non percipit, illum ipsum perditionis suæ causam esse oportet. Et hoc propterea fit, vel quod S. scripturas non piè legit, h. e. non vera animi humilitate, propriæque rationis & sapientiæ abnegatione: non ardenti desiderio voluntatem Dei agnoscendi, eique summa obedientia ac subiectione sui ipsius obtemperandi: non religiosa ac fidei precatione ad Dominum pro bono eius spiritu præeunte, denique non sine ministerij Ecclesiastici, & omnium quos Dominus ad nos mittit, quemadmodum ad Æthiopem illum mittebat Philippum, Act. 8. vt S. scripturam nobis exponant, fastidio & contemptu. Quicumque enim ministros Domini contemnit, Dominum ipsum spernit, suæque superbia & fastu, veritate ac doctrina salutari, quæ in S. scriptura continetur, semetipsum indignum reddit.

*Impossibi-*  
*le est ve-*  
*rum scri-*  
*ptura in-*  
*tellectum*  
*in Catho-*  
*lica Ec-*  
*clesia*  
*quarere.* Quod verò eorum positio infirma sit ac debilis, id inde concludi potest. Catholica Ecclesia Christi est congregatio omnium verè credentium Christo, quotquot vnquam fuerunt ab initio mundi. At vbi possunt isti omnes simul congregati inueniri? Quo scripto continetur publica eorum doctrina, & communis in ea consensus, vnde Concionatores possint verum S. scripturæ intellectum, velut ex penu depromere? Si ad Patres nos mittant Aduersarij, & dicant eos coram Catholica Ecclesia sacrarum literarum intellectum tradidisse, quis certos nos reddet, quod omnes vel saltem quidam ex ipsis verum S. scripturæ sensum & intellectum, quem Catholica Ecclesia docet, tradant: præsertim cum eorum nullus vel cum alio semper, vel secum ipse, quod minus est, consentiat atque concordet.

Si verò ad Ecclesiam, quæ nunc per totum orbem dispersa est, & ad eius obseruationes nos mittant, omnia iam dudum in Ecclesiis sunt humanis præsumptionibus, & horrendis abusibus referta, vt verissimè D. Augustinus testatur. Adhæc Ecclesiæ quæ nostro tempore supersunt, cum iis quæ floruerunt tempore Patrum, pessimè concordant: imò obseruationes ac ritus nostrarum Ecclesiarum in multis iisque grauissimis rebus antiquæ Apostolorum Ecclesiæ, omnino repugnant. Neque igitur Ecclesiæ, quæ nostro seculo existunt, certos nos reddere possunt, quis sic in singulis religionis nostræ dogmatibus & ordinationibus verum S. scripturæ intellectus. Quod si Romani, vt nonnulli faciunt, S. Petri gratia nos mittant, quis spondebit nobis, eos homines, qui nostro tempore Romæ tenent imperium, habere spiritum & fidem S. Petri? A fructibus docet Dominus arbores ipsas cognoscere. Vbicunque igitur mani festa flagitia & scelera liberè & impunè grassantur, ibi Diabolum patrem mendacij: qui etsi aliquando veritatem dicit, in ea tamen non stetit, regnare necesse est. Quapropter velle ab eiusmodi hominibus verum S. scripturæ intellectum perdiscere, Deum tentare est. Testantur S. literæ, quemad-



quemadmodum & Patres, Non omnes Sanctorum successores & imitatores esse qui tenent loca eorum, sed qui spiritum & fidem eorum habent. Dist. 40. Cap. Non nos, cum seq. & II. q. 7. Non omnes.

Cum igitur in vniuerso mundo nullus vel liber vel homo existat, qui de vero & quem Catholica tenet Ecclesia, S. scripturarum intellectu, certos nos reddere, ac locuples testimonium ferre queat, nisi sola per se scriptura sancta, manifestum est, Aduersarios, dum in sola Catholica ecclesia verum S. scripturæ intellectum querendum esse affirmant, nos ad impossibilia mittere: imò à clarissimo diuinæ doctrinæ lumine, quam Dominus in scriptura sua nobis & ob oculos ponit, & in manus tendit, ad tenebras humanorum scriptorum ac dogmatum abducere.

*Decretis  
ita habet.  
Non san-  
ctorum fi-  
lij sunt,  
qui tenent  
loca san-  
ctorum, sed  
qui exer-  
cent ope-  
ra eorum.*

Quod S. Patres ipsi testantur, & tantò quilibet eorum vehementius, quantò maiori polluit S. literarum peritia & cognitione: nempe quòd eorum vel personis vel scriptis omnino nitendum non sit, nisi ea quæ tradunt, scripto & indubitato Dei verbo confirmant.

Rectè igitur ac piè à Libro Reformationis fit, quòd Pastores & Concionatores ante omnia ad S. scripturarum lectionem hortatur, vt in superiore articulo commemoratum est.

*Dissolutio Obiectionis, sumpta ex verbo Dei.*

**P**orrò quod Scripturarum testimonia, quæ Aduersarij adduxerunt, positionem eorum nullo modo confirmant, restat demonstrandum. Ac primùm ad dictum Pauli 1. Timoth. 3. non negamus Ecclesiam esse columnam & firmamentum omnis veritatis. Quamobrem id verò? Certè non aliam ob causam, quàm quòd fundamento verbi Dei superædificata est, & in his quæ in S. scriptura certissimè reperiuntur, firma & immota persistit. Præterea dedit Dominus Ecclesiæ suæ Apostolos, Evangelistas, Prophetas, Pastores & Doctores, vt testatur Apostolus Ephes. 4. vt Ecclesiam suam in certa & concordia fide atque cognitione Christi edificent. Cæterùm quonam medio & quasi instrumento debent isti omnes vt ad ædificationem corporis Christi perficiendam?

Sarè non alio, quàm verbo Dei in sacris literis apertissimè comprehenso. Vnde & Dominus ipse, cum discipulos suos ad ministerium suum ordinaret, reuelauit illis verum S. scripturarum intellectum, oculosque ac mentes eorum aperuit, vt scripturas rectè intelligere possent, Luc. vlt. Quid igitur in vtroque dicto Pauli inest, ex quo consequatur, Verum & genuinum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia esse querendum. Cum Ecclesia ipsa eum in S. literis, ad quas Christus & Apostoli præcipuè nos mittunt, querat?

Ad locum Petri, in quo dicit, esse in Epistolis Pauli quædam loca intellectu difficilia, quæ indocti & instabiles deprauent, iam antea quoque responsum est. Non dicit Liber, S. scripturam quibusuis claram ac manifestam esse, sed duntaxat iis, qui ardentibus votis bonum spiritum à Domino precantur, ac pia sedulitate se in S. literis exercent. Neque etiam hoc dicit, quòd S. scriptura in omnibus locis perquæ clara & intellectu facilis sit, sed in tam multis, qui sufficiunt ad veram Dei doctrinam cognoscendam omnibus qui eam ex animo querunt.



*Solutio eorum que sunt ex Patribus obiecta.*

**Q**uod S. Patres autoritate ac testimonio Catholice Ecclesie conhereticos vsi sint, supra dictum est, ac simul indicatum, in quibus cōtrouersis id fecerint: cuiusmodi Ecclesie fuerint, quarum testimonio se suaque defenderunt: denique qua ratione, quoque proposito Ecclesie autoritatē pro se allegauerint. Manichæi reiciebant totum vetus Testamentū, nec nō bonā partē librorū noui Testamenti, quasi ex spiritu Dei scripti ac traditi nō essent. Abiciebāt quoque catholicum scripturarū intellectu de diuina omnium rerum huius mundi creatione & gubernatione: de diuinitate, de incarnatione, de redemptione & resurrectione Christi ex mortuis. Cū n̄ igitur de eo controuersia esset cū istis hereticis, Quenam essent verē diuina scripta: qua de re nullum extat testimonium scripto comprehensum. Item, Quid sit verus S. scripturarum intellectus, S. Patres & de his & aliis generalib. ac precipuis articulis, de quib. Christiani tūc tēporis, sicut & adhuc hodie, satis luculenta testimonia habebant ex Catholicis symbolis, vt fideles in Christiana veritate, contra hereticos munirent ac confirmarent, rectē ac piē obseruationes ac dogmata Ecclesiarū adduxerūt, que integrē adhuc & inuiolatē ab Apostolorū vsque tēporib. in Apostolicis Ecclesijs agnoscere cogentur. At tamen S. Patres traditiones & obseruationes istas, quantumuis vetustissimas, & simul cū Ecclesia ab initio exortas, nullo modo S. literis prætulerūt, neque solis illis innixi sunt, vt nostri Aduersarij fingunt. Sed ante omnia sacre Scripture autoritatem ac testimonia vsurparunt, eique soli summē atque extremē innixi sunt. Hereticos vero grauissimē accusarunt, qui nullam fidem scripturis habebant, eorūque libros vel peaitus reiciebant, vel contra genuinum ipsorum sensum torquebant.

Hæc diligenter considerent Christiani, videbunt enim quā longē diuersa ratione veteres S. Patres autoritate ac testimonio Catholice Ecclesie vtantur, quā nostri Aduersarij S. Patres allegabant autoritatē earum Ecclesiarū, quas omnes Christiani vt veras Christi Ecclesias agnoscebant, fructūsque, qui in eis conspiciebantur, demonstrabant. Et hoc faciebant præcipuē contra hereticos, qui S. scripturam reiciebāt: & sicut ab Apostolis traditus erat, integrē & incorruptē habebatur: denique non faciebant id sine S. literarum testimonio ac fundamēto. Aduersarij verò conantur eos qui ad S. scripturas appellant, earūque autoritate nituntur, ad Ecclesiarum testimonia abducere: quarū opera & fructus nihil minus testantur, quā quod veræ sint Ecclesie Christi, & in quibus nihil rarius est, quā verarum veteris Apostolice Ecclesie traditionum obseruatio. Deinde hoc faciunt erga eos qui S. scripturis per omnia libenter acquiescunt, in eisque summum refugium habent. Postremò in talibus rebus, de quibus certa & indubitata doctrina in S. literis extat; multi verò manifesti ac perniciosi abusus in earum obseruationibus, vt ab Ecclesijs (quas vocant) obseruantur, insunt.

Introducunt porrò Aduersarij 19, caput noni libri Tripartite historie.



riæ, ex eoque, quamuis falsò affirmant, communem fuisse veterù Conciliorù consuetudinem, vt si quando inter Catholicos & hereticos concertatio de vero intellectu S. scripturæ fuisset oborta, in omnibus semper Conciliis ad eum consequendum, sursum diligenter inuestigaretur, quid patres retrò præcedentes ad tempora Apostolorù vsque senserint.

At meritò quis audaciam & temeritatem eorum miretur. In eo enim loco quem citant, ne verbo quidē eiusmodi consuetudinis inétio fit: sed commemoratur, Sicinium quendam Nouarianæ hæreseos sectatorē, lectorem Agellij, eius sectæ tunc temporis Episcopi, tale consiliù dedisse, vt ex Arrianis hereticis quæreretur, vtrum Ecclesiasticos doctores, qui ante eorum sectam extitissent, recipere, eorùque authoritati acquiescere vellent. Quod consiliu non plus ad concordiam profuit, quàm disputatio ipsa. Vnde Imperator publica lege sancita Arrianis proprias habere ecclesias, publicèque de fide docere, interdixit, nonnullos omnino è ciuitatibus eiecit, &c. Legatur totum hoc caput vsque ad finem.

Præses quoque & veterù Conciliorù Acta contrarium euincunt. Antiqui enim Patres in Conciliis veritatem fidei semper ex Prophetarù & Apostolorù scriptis confirmarunt, & aduersus hereticos defenderunt. Legatur de Magno Concilio Nicæno, quomodo pius Imperator Constantinus Patres hortatus sit, & quomodo hoc ipsum summa diligentia ac fide præstiterint, lib. 2. Trip. hist. cap. 5.

Cùm de diuinis (inquit Imperator) rebus tractetis, Evangelici libri sunt, & Apostol, antiquorùque Prophetarù sanctiores, quæ nos erudiunt, quod de sacra lege sapiamus. Et hoc consiliu D. Imp. omnia antiqua concilia diligentissimè secuta sunt, id quod eorù Acta testantur.

Verum est quòd S. Patres superiorù Conciliorù acta, & decreta, testimonia superiorù Patrum, denique & ordinationes Ecclesiarù, quas veras ac legitimas iudicabât, simul quoque introduxerint: id tamē semper fecerunt post adducta scripturarù testimonia. In his enim semper firma ac valida fundaméta iecerunt, quibus & in Conciliis, & extra Concilia Christianã veritatē cõtra quẽcũque errorē defenderūt ac propugnarūt.

Citat quoque Augustinù Aduersarij, eique præminentia authoritatis Ecclesiæ impudenter assignant: de qua nihil in omnibus suis scriptis licet inuenire. Omnes enim nouerunt, qui volumina ac scripta eius aliquando legerunt, quòd sacram scripturã omnibus Ecclesiarù traditionibus, ac Conciliorum decretis, quantumuis antiqua sint, antepont. Scribit in disputatione quadam adhortatoria, in qua benè adhuc affectos, & nondum omnino obstinatos Manichæos in errore suo confundere, & ad amplectendam veritatem Christi permouere tentabat, lib. *Responsio ad dictum Augustini. Euangelio non crederem.* contra Epistolam fundamenti c. 5. in hunc modù, Euangelio non crederem, nisi me ad hoc Ecclesiæ authoritas cõmoueret. Cùm enim D. Augustino Euangelium nomine totius Ecclesiæ, vt fides & doctrina eius annuncietur, fidem sanè illi adhibere nō potuit, nisi & Ecclesiæ à qua *crederem.* Euangelium illi prædicabatur, fidem haberet.

Atque hoc modo necesse erat, vt authoritas Ecclesiæ, quæ est etiam Sp. sancti, eum nonnihil permoueret. Veruntamen plurimis in locis te-



statut, fidem suam de Euangelio, non in Ecclesiis, sed in diuina auctoritate esse fundatā, & quod S. scriptura præcipue, vel potius omnino eū ad hanc fidem impulerit: quamuis ad hanc rem spiritus S. Ecclesiæ quoque auctoritate, tã iuā instrumēto fuisset vsus. Hinc est, quod dicit, Cōmoueret, h. e. simul, nō primaria ratione, aut omnino moueret. Legatur 3. c. 6. lib. vlt. 7. lib. & 12. lib. 8. Confess. D. August. & apparebit, quo pacto pri. nū. omniū ad Christianā fidē amplectendā fuerit permotus: ac deinde cui fundamento innixus, in eo promoueret, donec ad extremum omnino conuerteretur. Principiū salutis suæ fuit, quod ab Ambrosio didicerat, Legis ac Prophetarū scripta non amplius reicere, quemadmodū fuerat à Manichæis edoctus. Progrediebatur in fide, cū lectioni scripturarū, imprimis Epistolarū Pauli diligentius attenderet. Tota perficiebatur cōuersio, cū cantū puerorū, Tolle, lege sequeretur. Horū capitū diligens lectio plurimū ad pietatis ædificationē confert. Quin & lib. citato contra Manichæos, c. 4. enumerat aliquot causas, quæ ipsum mouerunt, vt in corpore Catholicæ Ecclesiæ permaneret. Nempe, multitudo credentiū, & idem atque vnanimis populorū consensus. Tū auctoritas miraculis inchoata, spe nutrita, charitate aucta, & vetustate firmata. Post ordinaria sacerdotū successio, quæ vt ipse ait, à B. Petro, vsque ad præsentē diē habetur in Catholica Ecclesia. Denique nomē (Catholicæ) Hic tamē omnib. inquit, demonstrata veritas, hoc est, quæ per S. scripturam ita demonstratur, vt de ea dubitari non possit, præferenda est.

Quapropter cū Christianū doctorem ac præconē verbi Dei instituit, in quatuor libris, quos de doctrina Christiana inscripsit, nullibi eum ad auctoritatem Ecclesiæ mittit, nec iubet, vt verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærat, sed in scripturis ipsis.

Ac primo quidē libro docet, summa ac præcipua S. literarum capita, probè apprehendenda esse, videlicet charitatē Dei & proximorū; Quod soli Deo ipsius tantū causa, adhærescere, in eoque omne solatium, omne perfectum gaudiū, quærere debeamus: deinde proximū nostrū propter Deum summo amore prosequi: omnibus itē rebus & creaturis sic vti, vt per eas geminā hanc charitatē & in nobis & in aliis promouere queamus. In secūdo libro docet, Quantum utilitatis adferat ad S. scripturas plenè intelligendas, earū linguarū cognitio, in quib. S. literæ ab iniūto conscriptæ fuerūt, quid itē eò conferat diligens interpretationum collatio, ac mediocris scientia bonarum artium & disciplinarū: in primis verò animus sincera pietate, humilitate, ac spontanea obedientia veritati adhærens, & in charitate Dei ac proximorum firmiter fundatus.

In tertio docet magnam diligentiam & cautionem esse adhibendam, vt singula verba, singulæ locutiones rectè discernantur, videlicet quæ propriæ sint, quæ trāslatitiæ, aut alia quadā ratione mutare. Tradit quoque alias quasdā regulas eò pertinentes, vt sensus scripturæ in omnibus locis propriè deprehendi ac intelligi possit. In quarū numero posita nō est ea quā aduersarij tradunt, nempe, vt ante omnia quæratur, quomodo Catholica Ecclesia quemlibet locum scripturæ intellexerit. Sed hoc potius docet cū libro Reformationis, vt obscuriora scripturæ loca cum clarioribus



clarioribus conferantur, & ex his genuinus illorum intellectus discatur. Quandoquidem (vt verè inquit) Deus omnia quæ ad credendum & faciendum nobis sunt in hac vita necessaria, ab eoque præcepta, in claris ac manifestis scripturæ locis abudè proposuit. Sacrosancta enim scriptura ait, ita cōtemperauit doctrinã suã, vt in planiorib. locis cibũ nobis offerat: in obscurioribus verò & nonnihil tectioribus nauseam ac fastidium propellat. Sic igitur propositum fuit, D. Augustino in trib. hisce libris declarare, quomodo concionator & doctor Ecclesiæ verum & genuinũ diuinarum scripturarum intellectum sibi acquirere possit. In quarto demum libro rationem ac methodum docet, hunc intellectum aliis hominibus ordine ac dilucidè proponendi. Ad eundem propemodum & alij S. Patres ministros Ecclesiæ, ac verbi præcones de vero S. literarum intellectu comparando informant.

Postremò adducunt quoque Epiphanium contra nos, qui ita scribit contra hæreses lib. 2. tomo 1. Scripturæ speculatione quidem indigent & sensu, ad cognoscendum vniuscuiusque propositi argumenti vim & facultatem. Sed & oportet traditione vti. Non enim omnia à diuinã scriptura accipi possunt. Cæterum hoc dictum Epiphaniij nulla ex parte cum libro Reformationis pugnat. Nam & ipse piã diligentiam, & spiritualem sensum requirit: traditionum quoque, quæ etsi scriptæ non sunt, suum tamen in S. scriptura fundamentum habent, interpretationem admittit. Quam certè Spiritus S. à nemine Christiano abscondet, qui eam vera ac solida fide fuerit à Domino precatus; etiamsi solas scripturas haberet, & neminem præterea mortalium, qui vel minimum verbum ex traditionibus Ecclesiasticis ei recitare & commemorare posset. Vnde rursus manifestum est, positionem Aduersariorum, quæ verum S. scripturæ intellectum in sola Catholica Ecclesia quærendum esse affirmant, sicut cum verbo Dei, ita & cum doctrina S. Patrũ ex diametro pugnare, tantũ abest, vt vel vno Patrũ testimonio ei patrocinari queant.

*Defensio libri Reformationis.*

**P**Ræter hæc omnia manifesta faciunt Aduersarij Libro Reformationis iniuriam, cum dicunt, eum facere potestatem Pastoribus & prædicantibus scripturas declarandi, & interpretandi, & hoc per solam etymologiam & collationem locorum obscuriorum ad clariora. Dissimulet verò & taceat de intellectu Catholicæ Ecclesiæ.

Legatur primum caput Libri de doctrina, & officio Concionatorum, & inuenietur, eum nullo modo potestatem explicandi scripturas sacerdotibus, vt propriè & peculiariter ad eos pertinentem, attribuere, quin potius docere & hortari omnes, vt verum scripturæ intellectũ ardētibus precib⁹ à Domino petãt, ac diligenti scrutatione in S. literis quarant, Et hoc tantum per Etymologiam, & collationẽ locorũ, sed notationẽ quoq; præcipuorum articulorum Christianæ doctrine, comitante simul ardenti & fidei oratione, piãque ac sedula læctione S. scripturarum, denique abstractione sui ipsius ab omnibus mundanis & carnalibus negotiis, &c. Vbi verò mentio fiat de intellectu Catholicæ Ecclesiæ, id superiori proximo articulo demonstratum est. Eum enim liber Re-



formationis non dissimulauit nec tacuit, vt Aduersarij falso criminantur.

*Conclusio ad secundam hanc Accusationem.*

**H**Actenus ad alterum crimen, quod Aduersarij Libro Reformationis intendunt, responsum est. De quo fusiùs aliquatò fuit agendù, propterea quòd Aduersarij in hoc secundo articulo arma sua ac verè, aut saltem polire tentarunt, quòd faciliùs splendore ac fulgore eorum simplices à certo & salutari S. literarum lumine abducere, & in perniciosas humanòrum inuentòrum tenebras, sub prætextu antiquarum traditionum & authoritatis Ecclesiæ, denuò seducere ac præcipitare possent. Equidem coram Deo omnibùsque pijs Christianis comprobari ac declarari potest, nullam neque traditionem neque ordinationem in libro Reformationis inesse, quæ aut verè Apostolicis traditionibus, aut vllis Catholice Ecclesiæ Christi ordinationibus vel minima ex parte repugnet. Imò nullam esse verè Apostolicam & ab initio in Ecclesijs Christi vsurpatam atque ab Apostolis ipsis traditam obseruationem, quæ in hoc libro Reformationis non modò adducta sit, sed etiam summa diligentia ac fide, cum pio & Christiano eius vsu, in quo temporibus Apostolorum versabatur, proposita, in eòque quantù quidem à nobis fieri potuit promotà: è contrà manifestum est ac notum omnibus, Aduersarios easdem traditiones Apostolicas, vnà cum Ecclesia ab ipsa origine natas, & ad pietatis prouectum maximè vtilis ac necessarias, non tantum reieçisse penitus, sed etiam refugere atque abominari: adeo vt totam hanc controuersiam contra libram & Acta Reformationis non alia de causa excitarint, quàm quòd omnes labores in eos in hunc finem diriguntur, vt verè Apostolicæ traditiones & consuetudines, vnà cum syncera prædicatione Euangelij, pristinae suæ dignitati, piòque vsui & obseruationi restituerentur.

Cuiusmodi sunt: Vt in Ecclesijs omnes lectiones, doctrinæ, cantiones, sacramentorum administrationes ex S. literis desumerentur, & ad totius congregationis intellectum & ædificationem prælegerentur, canerentur & exponerentur.

Vt omnia Ecclesiæ ministeria in vera & efficaci animarum cura, Sacramentorum administratione, & disciplina Ecclesiæ summa diligentia ac fide præstarentur: idque ab iis tantum personis, quæ ab hominibus mundanis & carnalibus negotiis se continent, & huic ministerio soli inuigilant pia & inculpabili vita. Denique vt singuli parochi singulis parochiis præessent, nisi aliarum Ecclesiarum necessitas, quæ proprijs ministris adhuc destitutæ sunt, aliud exposceret, &c.

His ac similibus Apostolicis traditionibus, quas omnes S. Patres ab initio Ecclesiæ summa religione & obseruarunt ipsi, & vt ab alijs quoque obseruarentur curarunt, sicut Aduersarij probè sciunt, si se homines submittere vellent, easque non tam graues & intolerabiles iudicarent, dubium non est, quin ista controuersia breui tempore componeretur, ac salutaris exitij isti negotio inueniretur. Det Dominus

Deus,